

1276 Femina munda satis lacrymis pietate vo-
 [catis
 Abluitur gratis, quia par prope glorificatis.
 Ipse sepulturæ studet, huic vacat, hæc sibi curæ ;
 Sed quid agat nescit, tellus perdura rigescit ;
 Multa senem frangunt, labor et calor et sitis an-
 [gunt ;
 Cedit vis annis, sinuosis brachia pannis,
 Præ manibus nullus ligo, sed nec sarculus ullus.
 Dum dolet atque gemit, nova res suspiria demit :
 Lumina siccentur, quia spe meliora parantur.
 Nam leo lugenti similis funusque colenti
 Obsequium spondens, iramque feramque recon-
 [dens,
 Vertice submisso venit, fastuque remisso
 Adjecit sanctas humilis collambere plantas.
 Miratus talem tam devotumque sodalem,
 Attribuit meritis mulieris ; quod fera mitis,
 Quod leo sit lenis, quod nomen inhæsit arenis,
 Quod super illuxit, et eum lux prævia duxit ;
 Quod desolatam cœlode, quod intumultatam
 Non infestavit fera, non volucris laceravit,
 Non solvit magnus fervor, non integer annus ;
 Jam depingebat quæ gloria membra manebat
 Sub calidis ventis incorruptela jacentis.
 Tot simul et tantis expertus dona Tonantis

A Cuncta recordatur, relegit quod ubique loquatur
 Alloquio tali tradens mandata sodali :
 Mi comes, urgemur, et eam sepelire monemur
 Quam nescit mundus, cui major in orbe secun-
 [dus
 Quod si venisti missus sub nomine Christi,
 Si famulaturus, tumulum fode, post rediturus.
 Exue terrorem, solitum dedisce furorem ;
 Ad laudem Christi cedet quod feceris isti.
 His nondum dictis, feritate minisque relictis,
 Lentus incedit, et ei leo promptus obedit,
 Ignarusque moræ momento labilis horæ
 Implet mandatum, peragens opus acceleratum.
 Interea monachus sacros ad sternitur artus :
 Vestis eum nulla nisi trita vetusque cuculla
 Quæ vix hærebat sibi jam contusa tegebat.
 B His indumentis involvit membra jacentis,
 Scilicet ingentem thesaurum, jamque gerentem
 Quiddam splendoris, quiddam solemnem odoris,
 Quiddam præclarum de nectare cœlicolarum
 Femina sanctorum mercede beata laborum,
 Ad tumulum vehitur, famulante fera sepelitur.
 Inde senex repedit, jubet ut leo verna recedat.
 Visa domi recitat, delictis parcere vitat :
 Increpat, hortatur, spondet bona, dura minatur.
 Sic ubi complevit viginti lustra quievit.

1276* VEN. HILDEBERTI

CENOMANENSIS EPISCOPI

LAMENTATIO PECCATRICIS ANIMÆ

(E cod. Turon. biblioth. n. 656 nov. et 222 antiq., primum edit. a J.-B. Bouassé canonico Turon.)

Cum dies mortis venerit,
 Cum mors urgere cœperit,
 Tunc mihi risus deerit,
 Tunc sero luctus aderit ;
 Unde nunc miser rideo,
 Unde sic modo gaudeo,
 Quare non semper lugeo
 Cur peccata non deleo ?
 Quid boni Christo deferam
 Quid me fecisse referam ?
 Vitam contempsi supernam
 Amavi vero miseram.
 Sprevi divina monita,
 Egi semper illicita,
 Mens malis sponte subdita,
 Est facta, heu ! perdita.
 Nunquam me caste colui,
 Sed fœde nimis pollui,
 Virgo putari volui,
 Pudicus esse nolui.
 Jejunam dici cupio,
 Sed ventrem nimis farcio,
 Cibo potuque nimio
 Carnem plus æquo nutrio.
 Ira me vultum sic impulit
 Trophæum sæpe retulit,

Horrendo telo perculit.
 Mentemque mihi abstulit.
 Quid dicam de tristitia ?
 Quid querar de invidia,
 Quæ, cum matre superbia
 Bona prosternit omnia ?
 Per tanta namque noxia
 Cum sim prolapsus vitia,
 Quæ præstolabor præmia
 Nisi magna supplicia ?
 Quamvis enim hæc faciam
 Licet peccatis serviam,
 Hanc tamen vitam finiam,
 Ad mortis diem veniam.
 Postquam nil quibo facere
 Quo pœnas possim fugere,
 Sed consumar in cinere,
 Dissolvarque in pulvere.
 Amara dies veniet
 Qua justus iudex veniet,
 Per quem omnis recipiet
 Juxta quod modo faciet.
 Tuba clangens ab æthere
 Omnes jubebit surgere,
 Ad tribunal occurrere,
 Jacta, dictuque promere.

Hanc tubam omnes audient,
 De sepulcris mox prodient,
 Quid gesserunt prospicient,
 Omnes actus aperient.
 Tunc ille Rex altissimus,
 Qui nunc exstat piissimus,
 Judex erit justissimus,
 Vultuque serenissimus.
 Hunc tempestas præveniet,
 Ignisque magnus præiet
 Qui totum mundum liniet,
 Aqua restingui nesciet.
 Illio cœtus angelici,
 Chorique archangelici,
 Astabunt summo Judici
 Malorum duro vindici-
 Ibi prophætæ ederunt,
 Nec patriarchæ deerunt,
 Et judicandis præerunt
 Qui nunc mundana deserunt,
 Throni ponuntur omnibus
 Pretiosis martyribus,
 Christique confessoribus,
 Necnon sanctis virginibus,
 Tunc tribus surgent, populi
 Senex, infantes, parvuli

Exponent coram singuli
 Quid gesserint piaculi.
 Nullus abscondi poterit,
 Sed omnis homo aderit,
 Quicumque natus fuerit,
 Vel in ventre obierit.
 Quid tunc dices, horuncio,
 In quo fides refugio,
 Nullus erit auxilio,
 Nemo certe præsidio.
 Parce, parce nunc risibus,
 Crebris insiste fletibus
 Indulge pravis actibus,
 Stude bonis operibus.
 Quidquid enim hic feceris,
 Quæcunque cogitaveris,
 Quod erubescens operis
 Tunc palam erit ceteris.
 Tunc tua gesta noxia,
 Secreta quoque turpia
 Videbunt circumstantia
 Virorum mille millia.
 Si quis te nunc exueret,
 Atque nudum prospiceret,
 Quamvis laudum nil cerneret
 Multum tamen confunderet.
 Quæ tunc erit confusio,
 Quæ putas desolatio,
 Cum de tuo opprobrio
 Omnis ridebit natio ?
 Tua namque luxuria,
 Urens quoque invidia,
 Et domnosa superbia,
 Tunc erunt in notitia.
 Tunc clare scire poteris
 Quam fæde modo vixeris,
 Quanta nunc mala feceris
 In quantis te pollueris,
 Cernes chorum monasticum
 Inter chorum angelicum,
 Nimis esse glorificum,
 Et de phalange judicum.
 Cernes te procul abjici,
 Inter damnatos projici,
 Nil tibi regni dejici,
 Nil honoris monastici.
 Illos clare splendescere,
 Te videbis sordescere,
 Illos lætos concinere,
 Te vero tristem gemere.
 Erant illi in gloria,
 Tu in jugi miseria ;
 Illis dabuntur gaudia,
 Tibi tormenta gravia.
 Finietur iudicium,
 Et corpus quisque proprium
 Secum feret ad bravium,
 Aut ad iuge supplicium.
 Si tunc damnatus fueris,
 Si, quod absit ! perieris,
 Flebis quod natus fueris,
 Quod una hora vixeris.
 Tunc sera pœnitentia,
 Et lamenta inania,
 Crebra quoque suspiria,
 Tandem sternent præcordia.
 Cibus erit dæmonibus ;
 Fomentumque draconibus ;
 Roderis a serpentibus,
 Consummeris a vermibus.
 Hinc flammam cernes furere
 Illinc aquam gelescere ;
 Hinc si velis effugere.
 Illuc cogaris ruere.
 Tortores nimis efferos
 Habebis apud inferos ;
 Tuncque cernes mortiferos

Quos nunc credis melligeros.
 Tormenta sæva senties,
 Citoque mori cupies,
 Nec tamen vitam linies,
 Nec quod quæres efficies.
 Illinc tela creberrima,
 Hinc nox premet densissima ;
 Illic flamma nigerrima,
 Istic aqua fœdissima,
 Tunc caninis latratibus,
 Leonnis rugitibus,
 Et taurinis mugitibus
 Occideris terroribus.
 Ille ut morsu premere,
 Iste pede suffodere,
 Hic cornu quæret sternere
 Omnis studebit perdere.
 Tunc uncis, clavis Zabuli
 Fronte pellentur oculi
 Qui per diversa seculi
 Vagantur modo patuli.
 Inde manus abscidere,
 Crura quærent divellere
 Cunctaque membra tollere,
 Quæ nunc movent delinquere.
 Fætor intolerabilis,
 Luctusque indicibilis,
 Planctus illic horribilis
 Sed nulli prorsus utilis.
 Sol ibi nunquam micuit,
 Lux illic nunquam splenduit,
 Luna lucem non præbuit,
 Nec nox amara defuit.
 Nulla sunt ibi gaudia,
 Sed æterna tristitia,
 Nulla prorsus solatia,
 Sed tormenta crudelia,
 Fletus et stridor dentium
 Illic habent dominium ;
 Heu ! heu ! vox omnium
 Est ibi pœnitentium.
 Væ ! væ ! Cur nati fuimus ?
 Cur una hora viximus ?
 Cur clerum non timuimus ?
 Cur peccare dileximus ?
 Heu ! heu ! vos vitis,
 Quæ tam fuistis dulcia,
 Quam modo nobis gravia,
 Quam nunc estis crudelia !
 Væ ! cur vobis credidimus ?
 Cur vos non evitavimus ?
 Cur vobis satisfacimus ?
 Cur vos sequi voluimus ?
 Quid nunc nobis superbia,
 Quidve prodest jactantia ?
 Jam transierunt omnia
 Quæ tunc erant suavia.
 Ista clamabunt singuli,
 Ista relexent populi,
 Dum pœnas ferent Zabuli,
 Pro mercede piaculi.
 Quid tunc, peccatrix anima,
 Quid tunc dices, miserrima
 Cum sis mœstissima,
 Mala videns durissima ?
 Si tunc posses resurgere,
 Hancque vitam resumere,
 Multum temet corrigere,
 Nec jam velles delinquere ;
 Tuncque Deo promitteres,
 Si quod prodesse crederes,
 Quod ultra non committeres
 Per quod illum offenderes.
 Cæso tamen hoc cupies,
 Nam nil horum efficies,
 Sed quod facis recipies,
 Nec tormenta diffugies.

Nec solum infernalìa
 Te torquebunt supplicia,
 Sed et sanctorum gloria,
 Paradisique gaudia.
 1276 Hæc flebis tibi tradita
 Illa tam procul posita,
 Malisque magnis domita
 Dolebis bona perdita.
 Quis namque possit dicere,
 Vel quæ mens comprehendere
 Quis ait spendor in æthere,
 Quis urbis status superæ ?
 Urbs ista Sion dicitur,
 In hac rex Deus cernitur,
 In hac æterne vivitur.
 Hæc a sanctis incolitur.
 Hanc mors nunquam introhit.
 Hæc nunquam vita exiit,
 Hanc habens nultus obiit,
 Hæc omnis carens proit.
 Hanc hostis non ingreditur,
 Hæc civis non egreditur,
 Hanc quisquis adipiscitur,
 Dei natus efficitur.
 Hæc est cœlestis civitas,
 In qua perennis claritas
 Perpes exstat felicitas,
 Æternaque jocunditas.
 Ibi nunquam esuries,
 Non frigus neque glacies
 Nulla molesta facies,
 Vel quævis intemperies.
 Ibi nulla tristitia,
 Nulla prorsus invidia,
 Sed perennis lætitia,
 Et perpes exstat gloria.
 Ibi jugis prosperitas,
 Jugis manet alacritas.
 Certa semper securitas,
 Secura perpetuitas.
 Ibi nulla sunt odia,
 Nulla lis aut discordia,
 Par sola regit omnia,
 Cuncta necit concordia.
 Omne quod nocet pellitur,
 Quod prodest intromittitur ;
 Adversis porta clauditur,
 Jocondis locus traditur.
 Lux est ibi perpetua,
 Diesque non occidua,
 Semper patens est janua,
 Semper itur ad pascua.
 Ibi prata virentia,
 Rosas gignunt et lilia,
 Quibus sanctorum millia
 Grata deducunt otia.
 Agnus præcedit fulgidus,
 Post chorus vadit nitidus,
 Ager additur floridus,
 Jamque sub agro lucidus
 Ex hoc fonte qui biberit
 Nunquam sitire poterit ;
 Qui hunc agrum possederit
 Nil illi boni deerit.
 Hinc solis currus petitur,
 Ejus forma prospicitur,
 Lunæ aureus ostenditur,
 Astrorum sedes panditur.
 Talis ludus cum gaudio
 In cœli sit palatio,
 Tali divina legio
 Refrigeratur studio.
 Agnum semper subsequitur,
 Ejusque laude pascitur,
 Ejusque visu reficitur.
 Ejus amore fruitur.
 Sed, o tu mens brevissima,

Quid bona refers maxima,
 Cum non nisi brevissima,
 Non dicas nisi ultima ?
 Parum est quidquid dixeris,
 Breve quod cogitaveris,
 Vile quidquid descripseris,
 Nihil quidquid retuleris.
 O felix urbs et incluta,
 Cœlesti luce prædita,
 Gemmis et auro condita,
 Solique Deo subdita !
 Tu diversis lapidibus,
 Sanctis fulges spiritibus,
 Et electis hominibus
 Qui bonis student actibus.
 In te chorus angelicus
 Qui tuus est hymnidicus,
 In te grex apostolicus
 Tuus exstans veridicus.
 Tu rubescis martyribus,
 Florescis confessoribus,
 Albescisque virginibus,
 Splendescis simul omnibus.
 In te nullum negotium
 Quod vertatur in tedium
 Hoc est totum officium
 Laudare Regem omnium.
 Hoc solum cunctos satiat,
 Hoc simul eos debriat ;
 Quantoque magis satiat,
 Plus ardent ut proficiat.
 Semper Deum concipiunt,
 semper laudare sitiunt,
 Sitiendo proficiunt,
 Saturati esuriunt.
 Quantum quisque de propria
 Tantum de fratris gloria,
 Nulla motus invidia
 Mira fervet lætitia.
 O Sion ! sancta civitas,
 In qua sic ardet charitas

Quanta tua felicitas,
 Quanta in te tranquillitas !
 O ! quid jam illi deerit
 Qui te adeptus fuerit ?
 Quod nolet illi deerit,
 Quod vero volet aderit.
 O ! si ad te non venero.
 Si te, mater, non videro,
 Si exsul tui fuero,
 Væ ! væ ! tunc mihi misero !
 Si mihi portam cluseris,
 Si me pulsantem spreveris,
 Heu ! profundo carceris
 Mox demergar cum miseris.
 Tunc mihi dolor ultimus,
 Tunc planctus erit maximus
 Nam carcer est teterrimus,
 Et tortor crudelissimus.
 Nulla spes erit exitus
 Nulla regni introitus,
 Nullus pœnarum obitus,
 Nullus finis interitus.
 Sed tu, rex indulgentis,
 Tolle manum justitias,
 Da tempus pœnitentiæ,
 Spem mihi confer veniæ.
 Multum peccavi, fateor,
 Multum ne damner vereor ;
 Sed tamen hac spe recreor
 Quod te pium intueor.
 Tu, pro salute hominis,
 Alvum intrasti Virginis
 Ut nostri prædam carminis
 Sævus auferres dominis.
 Tu, propter nos, ludibria,
 Tu, sputorum opprobria,
 Crucis quoque supplicia
 Mira tulisti gratia ;
 Nec mori differs, Domine,
 Pro servili levamine,
 Mortisque fracto limine,

Nos salvas tuo sanguine.
 Illa, Rex Christe, passio
 Fiat mihi redemptio,
 Peccatorum remissio,
 Paradisi regressio.
 Nil enim mihi proderit
 Quod mundum liberaverit,
 Nisi et me salvaverit.
 Vitamque mihi dederit.
 Audi ergo, piissime,
 Audi, Rex clementissime,
 Audi preces miserimæ
 Peccatricisque animæ.
 Noli, quæso, me spernere,
 Noli vultum avertere,
 Nec recuses suscipere
 Ad te volentem fugere.
 De commissis da veniam
 De futuris custodiam
 Ut et pœnas effugiam,
 Et ad regnum perventiam.
 Quod si supernis domibus
 Indignus sum et sedibus
 Da saltem ut in foribus
 Quiescam cum minoribus.
 Da locum saltem minimum,
 Da vel gradum noviesimum ;
 Nam me credam ditissimum
 Si me cornam vel minimum.
 Hoc dat Pater ingenuus,
 Ejusque unigenitus,
 Sacer quoque Paracletus
 Qui factor est non conditus,
 Ut sim cum sanctis omnibus,
 Et cum sacris virginibus,
 In paradisi sedibus,
 Vel cum sanctorum pedibus.
 Quisquis hanc schedam legeris
 Quisquis hoc carmen videris,
 Mei quoque memineris
 Cum *Pater noster* dixeris.

Explicit lamentatio peccatricis animæ.

HISTORIA HILDEBERTI CENOMANENSIS EPISCOPI DE MAHUMETE

(Ita ms. codex ann. circiter 500, olim Elnonensis, sive S. Amandi in Pabula, nunc Regius, n. 274, qui solus inter mss. quos vidimus hanc habet Historiam.)

BREVE MONITUM.

1277-1278 Historia, seu narratio mere poetica ad exercitationem quasi academicam confecta potius quam exacta facti relatio qualis esse debet historia. Præterquam quod enim in anachronismum insignem lapsus est auctor, dum insinuat Mahumetis sectam, et insignis hypocritæ, Sergii scilicet apostatæ, ut putamus, ab Ecclesia defectionem, circa Theodosii et sancti Ambrosii tempora refert accidisse. Quod narrat hic de vitulo in cavea secrete enutrito, deinde tauro facto ac furibundo a Mahumete, quo rex fieret, acicurato, cum de hoc nihil omnino reperiatur apud auctores qui de rebus Mahumeticis egerunt, totum hoc nil nisi fabulam sapit, quam Hildebertus forte tunc juvenis, et litteris adhuc humanioribus vacans potius quam seriis, necdum adhuc historia valde peritus, exercitationis gratia in odium Mahumeticæ sectæ excogitavit et composuit. Hinc parum abuit quin hanc historiam seu fabulam omiserimus, nisi in optimæ notæ manuscripto Elnonensi, ex quo alioquin multa seria et lectu dignissima eruimus, tam expresse prætulisset nomen Hildeberti, cujus cum opera omnia, quantacunque detegere potuerimus, vulgare